

gesti, etiam pena centum sold. par. ¶ Et recipere omnes denarios datiorum comunis a daciariis sive colectoribus eorundem, et ipsi daciarii sive colectores eidem tantum solvere debeant, pena decem libr. par. pro quolibet daciario sive colectore

5 contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item exigere debere in dicto suo offitio quatuor mensium usque ad summam libr. sex centum Veneciarum par. de condempnationibus tantum, quas si non exigerit nil habere vel percipere de suo salario a camera comunis. ¶ Et potestas aut iudices comunis perquirere

10 debeant in exitu dicti procuratoris si exegerit ad dictam summam vel non, et hoc sacramento, et si non exigerit usque ad dictam summam nichil sibi dari facere de dicto suo salario, et si receperit ipsum restituere facere comuni a dicto procuratore. ¶ Item iurabit ipse procurator solvere et satisfacere saltariis comunis de eorum salario per totum mensem octubris, etiam pena solvendi de suis propriis bonis, incontinenti facta querela dominio per aliquem ipsorum saltariorum, et dominium eidem saltario conquerenti facere debeat rationem summariam. ¶ Item solvere et satisfacere cuilibet persone que

20 vendiderit vinum comuni Tergesti pro domino duce Veneciarum, et hoc quindecim diebus postquam dictum vinum extractum fuerit de vase, etiam pena solvendi de suis propriis bonis, quandocunque querela pervenerit ad dominium per venditorem. ¶ Et non recipere aliquid ab aliquo habere debente vel respondente a comune Tergesti, etiam pena centum sold. proquolibet procuratore contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Item conservare denarios comunis nec alicui persone concedere, et in qualibet ratione quam facere tenetur comuni habere totam pecuniam paratam, et presentare dictam pecuniam regimini in dicta ratione, etiam sub pena componendi

30 comuni sold. quinque par. pro qualibet libra. ¶ Et in fine termini sui offitii dare et solvere comuni, infra octo dies sequentes facta sua ratione, totam pecuniam que extabit et penes eum erit sive esse debet, etiam sub dicta pena; et etiam transactis dictis octo diebus dictus talis procurator // constringatur per

35 dominium ad standum in turri palatii comunis, de qua aliquo modo exire non possit donec plenarie comuni non satisfecerit. 29 A